

1° Non licet rebaptizare eos de quorum baptismo constat per unum testem fide dignum : nam talis probatio, si nulla contraria praesumptione infirmatur, moralem parit certitudinem. (Bened. XIV, cit. Const. *Postremo mense*)

2° Infantes expositos ne sub condicione quidem baptizare licet, si reperti sunt cum schedula quae de baptismo eis collato testabatur, modo non lateat qui schedulam scripserit eidemque fides tuto praestari possit, ut declarat Bened. XIV. (l. c.) Hinc concludere licet sub condicione baptizandos esse qui nullam schedulam deferunt, vel a viro ignoto aut parum fido scriptam.

3° Non licet rebaptizare sub condicione indiscriminatim omnes qui domi ab obstetricibus aliisve laicis baptizati fuerint, ut pluries S. C. C. edixit. (Coll. P. F. n. 648) Necessitas examinis in singulis casibus instituendi a fortiori sequitur ex ejusdem necessitate ubi baptismus in haeresi susceptus est. Facile tamen dubium rationabile habebitur si persona quae baptizavit reperta fuerit a religione aliena, ideoque parum sollicita ut materiam et formam rite applicaret, vel si cuicumque examini se subtraxerit, etc.

4° Non licet, ante ordinationem, sub condicione baptizare eos qui de baptismo sibi collato dubitant tantum quia nullum illius positivum documentum vel testimonium habere potuerunt, vel quia baptizati sunt a catechistis aliisve christianis minus instructis. Ita respondit S. C. de P. F. 30 Sept. 1848. (Coll. P. F. n. 652)

153. IV. De iis qui ab haeresi ad fidem catholicam convertuntur, sequentes conclusiones tenendae sunt, e decreto S. Inqu. 20 Nov. 1878 (Coll. P. F. n. 660) :

1° A quocumque loco vel a quacumque secta haeretici venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Non sufficit attendere ad Rituale sectae et examinare num aliquid validitati baptismi contrarium contineat, sed insuper indagandum in singulis casibus tam de facto, seu de collato baptismo, quam de modo quo a ministro praescriptiones hujus Ritualis observatae fuerint. (Instr. S. Inqu. 1877; Coll. P. F. n. 659)

2° Si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse baptismum, baptizandi erunt absolute.

3° Si, investigatione pro temporum et locorum ratione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub condicione secreto baptizentur. (1)

(1) Cum crescat in dies acatholicorum incredulitas vel incuria, verisimiliter opinatur Lehm. (II. n. 19 nota) fere ubique, et speciatim in America, repeten-

4° Si constiterit validum fuisse baptismum, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei. Cfr. n. 257 et Conc. Baltim. III (n. 120-122), modo expositis plane consonum.

V. Condiciones baptismo conferendo addere licet et oportet tantum quando locus est dubitandi num aliquid defuerit aut desit quod *ad valorem sacramenti* requiratur. Sed prorsus illicitum est valorem baptismi dubium facere addendo condicionem quae ad *licitam*, non autem ad validam collationem pertineat, ex. gr. si incapax es instructionis adultis ante susceptionem baptismi necessariae. (Instr. S. C. de P. F. 17 Aug. 1777 cit.)

CAPUT IV.

DE CAERIMONIIS BAPTISMI

§ I. DE CAERIMONIIS UNIVERSE SUMPTIS.

154. I. Baptismus regulariter conferendus est cum omnibus caerimoniis quae in Rit. Romano eidem adsignantur. (n. 116) Immo, ut diserte edixit Bened. XIV Const. *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744 (Coll. P. F. n. 602), sine gravi peccato neglegi nequeunt " tam magni ponderis tantaeque antiquitatis ritus atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii. „ Hinc letaliter peccaret qui, sine gravi causa, omitteret aliquam notabilem caerimoniam ex iis quae in collatione baptismi observandae sunt, ex. gr. unctionem chrismatis (S. Alph. n. 141), insufflationem, salivae et salis impositionem. (Bened. XIV Const. *Omnium sollicitudinem*, 13 Sept. 1744)

Grave quoque peccatum foret veteribus oleis ultra annum uti, quod a Rit. Rom. prohibetur " nisi necessitas cogat. „ Quare graviter peccaret sacerdos qui, cum commode posset, non curaret de novis oleis opportuno tempore comparandis. Si tamen nova nondum habentur, non ideo differendus est baptismus, nec omittendae unctiones, quae chrismate et oleo vetere fiant. (S. C. R. 23 Sept. 1837; Coll. S. R. n. 2773) Licebit quoque, ob quodcumque impedimentum rationabile et grave, sollemnitates baptismi omittere, ex. gr. si tempus omnino deficiat, si sacerdos

dum esse baptismum ab acatholico collatum, quotienscumque desit testis omni fide dignus qui de baptismo rite peracto singillatim testari possit.

non habeat, neque commode habere possit oleum catechumenorum, sal benedictum et alia iis perficiendis necessaria. (S. C. de P. F. 21 Jan. 1789; Coll. P. F. n. 611)

Totus ritus baptismalis latine peragendus est. Ipsae interrogationes prius in lingua latina faciendae sunt; licet tamen eas in lingua vernacula repetere. (S. Inqu. 23. Aug. 1886; Coll. P. F. n. 640)

II. Regulariter grave peccatum est baptizare extra ecclesiam. Nam " proprius baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe baptisterium prope ecclesiam. „ (Rit. Rom. tit. II. c. 1. n. 28) Attamen plures dantur exceptiones :

1^o Urgente necessitate, ubique baptizare licet, ex. gr. domi, si probabiliter timetur ne infans ob delationem ad ecclesiam moriatur.

2^o Regum aut magnorum principum filii baptizari possunt in eorum capellis seu oratoriis, adhibita aqua baptismali de more benedicta. (Rit. I. c. n. 29) Quinam *magni principes* censendi sint, e moribus regionis determinandum.

3^o Si infans nequit in ecclesiam deferri sine periculo infamiae parentum vel alius gravis damni. (S. Alph. n. 142)

4^o In locis Missionum, ubi catholici procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis incolunt et infantes ad ea sine magnis periculis et incommodis deferri nequeunt, licet missionariis eos, servato ritu Ecclesiae consueto, domi baptizare. (S. C. R. 4 Febr. 1871; Coll. S. M. n. 1341) Similia habet Conc. Baltim. II. n. 237 (Coll. Lac. t. I. p. 460) : " Qui ruri degunt aut in pagis et oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiore vel stationem, in qua Sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quodsi ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam vel alias graves causas hoc fieri nequeat, tunc missionarii prudentiae et conscientiae relinquimus ut eos domi cum omnibus Ecclesiae caerimoniis baptizet.

155. III. Si baptismus, in casu mortis imminenti, a laico ministratur, nullae caerimoniae adhibendae sunt, cum laicus earum minister non sit; quodsi baptizatus convaluerit et ad ecclesiam ferri vel pergere potuerit, eadem super eum supplendae erunt. (Rit. Rom. tit. II. c. 5.) Quodsi infirmi, ut facilius contingit in locis missionum, ita baptizati praevidentur numquam posse in ecclesiam deferri, caerimoniae etiam domi supplendae sunt. (S. Inqu. 10 Apr. 1861; Coll. P. F. n. 629)

Si in eodem casu mortis imminenti baptismus confertur a sacerdote, is, omissis caerimoniis quae baptismum praecedunt, statim conficiat sacramentum et, si baptizatus nondum expiravit, peragat caerimoniae quae baptismum subsequuntur, quatenus per adjuncta licet. (Rit. Rom.

t. II. c. 2. n. 28 seqq.) Postea autem, si infans vel adultus convaluerit, omissae caerimoniae suppleantur in ecclesia. Neque aliter agendum si forte ob aliam necessitatem infans vel infirmus a sacerdote domi baptizetur.

In locis missionum, ubi infans vel adultus extra casum mortis imminenti in loco profano baptizandus est, adhibendae erunt, quatenus moraliter fieri poterit, omnes caerimoniae in Rituali praescriptae. Potius enim est omittere circumstantiam loci sacri, ad majorem tantum reverentiam sacramenti requisitam, quam privare baptizandos spiritualibus bonis quae ex adhibitis sacris caerimoniis in ipsos derivantur. (S. C. de Prop. F. 21 Jan. 1789; Coll. P. F. n. 611) Idem dicendum censemus etiam in regionibus catholicis, si quando praevideatur numquam infantes deferri posse ad ecclesiam, puta ob permanens infamiae periculum vel perversam alterutrius parentis voluntatem. (1)

In baptismo condicionato licet omittere caerimoniae, quando administratur ei cui jam adhibitae sunt; sed, secluso casu Indulti specialis, adhibendae sunt iis qui baptismum dubium sine caerimoniis illis acceperint, puta conversis ab haeresi, etiam infantibus; pro his tamen secreto id peragendum est. (S. Inqu. 2 Apr. 1879; Coll. P. F. n. 634) Episcopus probabiliter potest ex gravi causa dispensare ut in baptismo condicionato caerimoniae omittantur, sicut in ipso Rituali (tit. II. c. 3. n. 16) ei diserte indulgetur, quando haeretici valide baptizati sunt, in iis dispensare " rationabili de causa. „ Idque innuit S. C. R. dum, 27 Aug. 1836 (Coll. S. R. n. 2743), de hoc casu interrogata respondit : " Quatenus supplendae sint vel *supplendae credantur* caerimoniae, ut in dubio, illae supplendae sunt quae pro adultorum baptismo sunt praescriptae. „ Quandoque etiam episcopis datur facultas generalis adhibendi pro adultis breviorum formulam parvulorum. Ita concedi solet Vic. Apost. Sinarum et regnorum adjacentium. (Coll. S. M. n. 33. XIII)

IV. De nominibus quae baptizatis imponantur, duo sunt observanda ex Rit. Rom. et Const. Bened XIV *Inter omnigenas* :

(1) Quibusdam in locis, ex. gr. in multis Galliae dioecibus (Craisson, Man. J. Can. n. 3288 seqq.), episcopus quandoque, extra necessitatis casum, permittit ut baptismus domi conferatur, caerimoniae vero sollemniter in ecclesia peragantur post aliquot hebdomadas, puta quando advenerint personae illustriores quae patrini munus agant : qui tamen veri patrini non erunt, nisi in ipso baptismo infantem per procuratorem tenuerint. Sane per se non apparet quo jure episcopus dispenset, sine necessitate, in lege generali Ecclesiae qua caerimoniae baptismi conjungi praecipuntur. Verum S. Alph. (l. 6. n. 118) censet consuetudinem hanc, quoad filios magnatum, non esse facile improbandam, et ipsa urgens postulatio magnatum quandoque aliquam necessitatem inducere potest, ne sequantur mala majora.

1° Ut imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti : quamquam id consilium potius quam praeceptum videtur. (S. Alph. n. 145)

2° Ne obscoena, fabulosa aut ridicula vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur. (Rit. Rom. tit. II. c. 1. n. 54) Si is qui puerum baptizandum defert nolit prorsus eum baptizari, nisi imposito impii alicujus nomine, non ideo fas est baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito, submissa voce, nomine alicujus Sancti. (S. Inqu. Jun. 1883 ap. Ball. P. n. 79)

§ 2. DE PATRINIS SINGILLATIM.

156. I. Patrinus saltem unus adhibendus est sub gravi in baptismo sollemni. Haec enim est praecipua e sollemnitatibus ab Ecclesia ritui essentiali additis, ut ex antiqua traditione et Rit. Rom. constat. Statuit autem Conc. Trid. (Sess. 24. c. 2. de ref. matr.) " ut unus tantum sive vir, sive mulier... vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. „ Quare graviter quoque peccaret parochus qui plures quam unum patrinum et unam matrinam pro singulis baptizandis admitteret. Si duo patrini vel duae matrinae admitterentur, S. Alph. (n. 156) censet graviter peccari si essent sexus a subjecto baptismi diversi, venialiter tantum si essent ejusdem sexus cum eo : quia in priore, non autem in posteriore casu multiplicarentur cognationes spirituales, contra mentem Tridentini.

II. Nulla datur obligatio adhibendi patrinum in baptismo qui a laico administretur : is enim minister non est sollemnitatum, ad quas patrini constitutio pertinet. Ubi autem a sacerdote confertur baptismus, omissis ob gravem causam quibusdam caerimoniis, manet tamen obligatio constituendi patrinum, si commode fieri potest. Id enim manifeste sequitur e practica regula quam recentiora decreta Romana illustrarunt : non esse omittendas nisi illas sollemnitates pro quibus adest grave impedimentum. (S. Inqu. 11 Dec. 1850 ; Coll. P. F. n. 624)

157. III. Condiciones requisitae ut quis valide munus patrini exerceat, hae sunt :

1° Ut habeat usum rationis et animum hoc munus patrini gerendi : nemo enim aliter obligationem hanc quasi-contractus suscipere potest. Unde liquet minime sufficere facti rati habitionem. Insuper juxta Rit. Rom. t. II. c. 1. n. 24, maxime convenit ut saltem aetatem pubertatis (n. 494) attigerit.

2° Ut sit baptizatus. Nam Rit. Rom. (ib. n. 25) excludit infideles, et addit (n. 24) : " sacramento confirmationis consignatos esse maxime *convenit.* „

3° Ut tangat baptizatum per se vel saltem per procuratorem. Ad hoc tamen sufficit " si patrinus, physico contactu infantis, jungat se cum eo cujus manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat. „ (S. C. de P. F. 21. Jan. 1856 ; Coll. P. F. n. 627) Sufficit quoque baptizatum suscipere de manu baptizantis vel obstetricis. (S. C. C. 20 Dec. 1653 et 18 Dec. 1688 ap. D'Annib. III. n. 285. nota 6)

4° In baptismo infantum, insuper requiritur probabilius ut designatus fuerit a parentibus (praevalente patre, si vir et uxor dissentiant) vel ab iis qui eorum locum tenent, puta a tutoribus. Parochus quidem competit jus alium designandi, si parentes vel nullum vel ineptum designant. Sed si aptum designaverint, graviter peccaret alium substituendo. Haec satis constant ex Trid. (l. c.) : " Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, seiscitetur quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. „

IV. Obligatio patrini est ut baptizatum, tamquam novitium in fide, informet et instruat de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam : quod liquet e natura officii istius, secundum antiquissimam Ecclesiae traditionem. Attamen, cum haec obligatio primario incumbat parentibus, praesumere potest patrinus ab iis sufficienter instrui baptizatum qui inter catholicos educetur. Si tamen quocumque modo sentiret contrarium, teneretur, secundum suum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere. (S. Th. 3. q. 67. aa. 7 et 8)

Haec obligatio, cum de re maxime necessaria agatur, per se gravis est, sed crebro ab ea exsequenda excusabitur patrinus, quia parentes a religione alieni christianam liberorum suorum institutionem impossibilem reddent. Tandem advertit cessare omnem patrini obligationem quando baptizatus in rebus fidei ad ipsum pertinentibus sufficienter instructus est : siquidem, e statu infantiae spiritualis egressus, jam non indiget paedagogo. (Ball. P. n. 82)

De cognatione spirituali e munere patrini oriunda dicitur n. 475 seqq.

158. V. Praeter eos qui condicionibus requisitis satisfacere nequeunt nempe infideles, infantes, amentes, ignorantes fidei elementa (n. 157) **a munere patrini prohibentur**, secundum Rit. Romanum (tit. II. c. 1. n. 22 seqq.) :

1° Haeretici vel schismatici. Consuetudinem eos adhibendi tamquam abusum reprobant S. Inq. (9 Dec. 1745; Coll. P. F. n. 604) et S. C. de P. F. (8 Sept. 1869; Coll. P. F. n. 632). Neque antiquiores AA. ut Laymann (l. 5. tr. 2 c. 9. n. 7) id licitum putabant, nisi cum gravis causa vel necessitas haereticum repellere prohiberet. Hodie autem, ex responso S. Inq. 3 Maii 1893 (Act. S. S. t. 26. p. 448), quando patrinus haereticus a parentibus designatus est, neque sine gravi incommodo repelli potest, non licet eum admittere, et praestat ut baptismus conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit.

2° Publice excommunicati et interdicti.

3° Publice criminosi aut infames. His nemo accensendus est nisi de gravi crimine vel infamia publice et manifeste constet: res enim valde odiosa est, a munere patrini repelli. Igitur repellendi sunt Massones notorii (S. Inq. 5 Jul. 1878; Coll. P. F. n. 1863) et qui, impletis dumtaxat formis civilibus, maritaliter vivunt (Stat. Mechl. n. 225), minime vero (nisi lex specialis ita statuerit) quicumque annuam confessionem et communionem neglegunt. (Marc, Theol. Mor. II. n. 1486) Quotiens autem aliquis repellendus erit, poterit sacerdos, ad indignationem ejus minuendam, permittere ut tamquam testis baptismo assistat. Insuper, quia leges Ecclesiae non obligant cum incommodo gravi, tolerare potest ut tales munere patrini fungantur, quando sine gravi damno removeri non possint. (D'Annib. III. n. 286. nota 14) In hunc fere sensum respondit S. Poenit. 10 Dec. 1860 (Act. S. S. t. 26. p. 448) de iis qui publice censuram incurrerint, jubens tamen ut ad episcopum recurratur.

4° " Admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis ordinis Regulares a saeculo segregati. „ (Rit. Rom.) Ratio praecipua videtur, ex his ultimis Ritualis verbis: ne, contra status sui obligationes, ad nimias relationes cum saecularibus inducantur. Verum haec prohibitio, utpote juris naturalis restrictiva, intellegenda est de solis Regularibus et Monialibus stricte dictis et certo sub hoc nomine venientibus. (n. 74) Immo plures AA. antiquiores (Bus. ap. S. Alph. n. 156; Struggl, tr. 9. q. 2. n. 67) excipiebant Mendicantes, cum Jus antiquius de solis Monachis loqui videatur. Sed, ob verba Ritualis universalialia, exceptionem istam non putamus admittendam. Excipiendi sunt tamen Regulares ad episcopatum evecti, cum pro iis penitus cesset prohibitionis ratio.

5° Pater aut mater baptizandi. Finis prohibitionis est ne conjux cognationem spiritualem cum conjuge contrahat: ac proinde cessat prohibitio quotiens nullum incommodum in ea cognatione contrahenda apparet, ut quandoque fit cum pater e sacro fonte suscipere vult filium suum illegitimum. (Lugo, Resp. Mor. l. 1. dub. 5)

TRACTATUS XIII.

DE CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

§ I. DE MATERIA REMOTA ET PROXIMA.

159. I. Materia remota confirmationis est chrisma confectum ex oleo et balsamo, ab episcopo benedictum.

Hanc materiam indicat Eugenius IV in Decr. pro Armenis, eamque essentialem esse tenet communissima Theol. sententia. Plures controversiae de hoc argumento nondum Ecclesiae judicio sunt definitae. Sed, cum sacramentum periculo nullitatis exponere non liceat, quidquid saltem probabiliter ad valorem hujus sacramenti pertinet, sub gravi adhibendum est cum ea cura quae in partibus essentialibus ritus sacramentalis necessaria est. Theoreticam ergo disputationem Dogmaticis relinquentes, hic, pro scopo nostro, breviter recensebimus dubia huc pertinentia:

1° Nonnulli Theol. tuentur materiam proximam sacramenti consistere in sola manuum impositione, ideoque chrismationem ad ritus accidentales amandant. Horum sententia, quamvis a paucis foveatur nec solidis nitatur argumentis, tamen ex iis est " circa quas unicuique licet, eam sequi partem quae magis ipsi placuerit. „ (Bened. XIV Const. *Ex quo primum*, 1 Mart. 1756)

2° Oleum olivarum (excluso quolibet alio) esse materiam ad valorem requisitam, communissime statuitur, quia id solum simpliciter oleum apud veteres vocabatur, utpote maxime usitatum. (S. Th. 3. q. 72. a. 2)

3° Communior sententia tenet ad valorem sacramenti requiri ut oleo